5.

QUAEDAM AD
NOMES PATHOLOGIAM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE VIII. MENS. MARTII A. MDCCCXXXIV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

GUSTAVUS BRUMBY
EGELIENSIS.

OPPONENTIBUS:
H. ROEPKE, MED. ET CHIR. DR.
C. RUNZE, MED. ET CHIR. DD.
L. RUDELOFF, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

CELEBERRIMO, ORNATISSIMO, DOCTISSIMO

I. L. TRUESTEDT,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI EXTRAORDINARIO IN UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA, REGI BORUSSORUM A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, SUPREMI COLLEGII AD REGENDAS SACRAS ET MEDICAS ET INSTITUTIONEM PUBLICAM SODALI, ORDINIS AQUILAE RUBRAE ET CRUCIS FERREAE EQUITI ETC. ETC.

NEC NON

VIRO

CELEBERRIMO, AMPLISSIMO

F. D. BAREZ,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, CLINICI PRO AEGROTIS INFANTIBUS DIRECTORI, MEDICO PRACTICO APUD BEROLINENSES, REGI BORUSSIAE A CONSILIIS MEDICIS, AQUILAE RUBRAE ORDINIS EQUITI ETC. ETC.

AEQUE AC

VIRO

DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,

C. RUST,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO BEROLINENSI, DIVISIONIS NOSOCOMII CARITATIS PRO AEGROTIS VARIOLIS LABORANTIBUS DIRECTORI,

FAUTORIBUS SUMME VENERANDIS

H A S C E

S T U D I O R U M   P R I M I T I A S

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quum in Caritatis nosocomii parte, aegrotis infantibus assignata, mihi contingeret, ut nomes insignem casum observarem et tum instituti Director, Cel. B a r e z, tum medicus superior, Exper. K u h k, quorum utrique maximas habeo gratias, in ejusdem observatione me adjuvarent, huncce casum in dissertatione describendi et de nome quaedam adjungendi cepi consilium, quum forsan accuratior descriptio, praeprimis quod remedium novum, K r e o s o t u m, periculi faciendi gratia esset tentatum, nonnullis, qui jam saepius hunc morbum singularem observaverunt atque ejusdem indolem capessere studuerunt, ut comperta conferrent, non esset ingrata. Primum ergo, lector benevolentissime, tironis conamen, qui, quum de omnibus medicinae et chirurgiae partibus

opera prostent doctissima, semper haesitat, si quid sibi scribendum est, vituperare noli, si qua tibi non sufficiant.

Si sententias scriptorum de nomae causa respicimus, plurimos hujus mali originem scorbuticae dyscrasiae, quae quondam pro causa sola habebatur, imputare videmus. Ex affectionibus tamen gastricis, ex febribus remittentibus et intermittentibus, ex exanthematibus acutis denique, nomen originem ducere experientia, recentiori tempore facta, satis docuit, secundum quam quidem illam nomen, quae exanthemata irregularia et febres intermittentes excipit, pro symptomate nonnulli habuerunt critico. Quae quum ita sint, originem nomae morbosque memoratos, quamquam illius species secundum originem varium non aeque varie excultae inveniuntur, nexu intimo inter se esse conjunctos, judicandum est. Quae quidem varietas quum in morbi decursu, quia in quavis specie partes aequali modo consumuntur, cognosci non possit, ulterioribus scrutationibus derelinquendum est, num forsan morbi initia haec varietas sede certius cognoscatur, quum de hac re scriptores tam pauca dixerint initiumque hujus rari morbi tam raro sit observatum. A. L. Rich-

ter (1) ergo, quum accuratius primum tres species, nomen scorbuticam, gastricam et metastaticam, dignoverit; quibus speciem benignam ex morbillis anomalis ortam, adjunxit, magnas sibi peperit laudes. Speciei catarrhalis, rheumaticae et arthriticae cet. alii scriptores mentionem adhuc faciunt.

Quarum tamen specierum varietates singulas quum perlustrare longius sit, ea tantum modo, quae majoris momenti sunt, de origine, causa proxima et sede morbi, memorare nobis est propositum.

A. L. Richter quidem dicit, nomes et stomacaces symptomata esse eadem, quum illa hujus formam sistat. Nomen scorbuticam s. stomacacen gangraenosam scorbuticam, frequentissime occurrere, destructione a gingivis incipiente, nomen gastricam, ex gena aut ex oris angulo aut ex harum partium membrana mucosa ordientem, rarissime, nomen metastaticam, quae praeter scorbuticam forsan minus raro existat, subito oriri, quum nec prodromi, nec symptomata, quibus functio organismi totius vel organi singularis laesa cognoscatur, se manifestent, morbis tamen jam peractis infantium vires plus minusve sint consumtae. Destructionem, quam haec species secum ferat, a partibus mollibus, quae oris cavum circumdent, incipere, primumque initium

(1) A. L. Richter, der Wasserkrebs der Kinder, eine Monographie. Berlin 1828.

cerni in tumore exiguo, duro, altius radicante, qui amygdalae magnitudine, omnis fere doloris expers atque in genae superficie paululum rubefactus sit. Oris cavum exploratum secundum **Rey**, qui hanc speciem accuratius sub origine et observaverit et descripserit, nil morbosi ostendere, nec oris membranae mucosae, nec gingivarum inflammationem vel alienationem. Quibus infantibus a labio morbus capiat initium, in membrana mucosa se ostendere maculam rubram, quae, rubore saturatiore et lividiore facto, celeri passu in gangraenam abeat. Nomen denique **Richter** se putare dicit stomacacen esse gangraenosam atque gangraenam.

Nomen esse stomacacen, morbi initium, praeprimis foetor singularis et secretio copiosa graveolentis salivae, quam intumescentia et destructio sequuntur, sicut denique totus morbi decursus confirmant. Stomacaces beniguae destructio constat in ulceratione, dum vesiculae oriuntur, rumpuntur et in ulcera superficialia rotunda, urentia, ulceribus syphiliticis non dissimilia, transeunt. In stomacaces autem specie, de qua hic agitur, ad majorem gradum, ad gangraenam, vel etiam ad mumificationem destructio progreditur. Gangraenoso vel sphaceloso ulcere partes molles consumuntur, illo maxime exculto, si nome in oris angulo vel in labii superficie a vesicula orditur, hocce vero, si macula rubra destructionem antecedit, cujus rubor in colo-

rem lividum vel plumbeum, vel cinereum vertitur omnesque partes, quae genam constituunt, una afficiuntur.

In morbi casu, qui in infante observatus est cujusque descriptionem nobis proposuimus, nomes initium stomacace antecessit, id quod e remediis adhibitis partim conjicere licet atque ex morbi historia accuratius patet, partim eo verisimilius redditur, quod infantis mater, et praesertim cognati, simul laborabant ex gingiva livida, laxa et cruenta, ex salivae secretione nimia neque minus ex foetore oris, id quod mihi innotuit, quum matris anxiae familiam curandorum causa cognatorum viserem atque, quod memoratu sane dignum, infantem jam ex nome laborantem, una cum sorore altera in eodem lectulo cubantem, alteram aegrotae saliva humefactam et utramque eodem cochleari nutritam invenirem; morbus tamen in hacce altera remediis levioribus mox cessit.

Num haecce stomacace nomes originem, quae secundum causam et symptomata ex dyscrasia scorbutica prodibat, necessario effecerit, dubitaverim, neque verisimile putaverim, omnino huic morbo stomacacen antecedere debere. Stomacace quamquam saepe occurrit, ulceribus permultis, ipsis gangraenosis, neque minus salivatione copiosa, quae quidem sine omni stomacace oris morbis, exempli gratia carcinomati labii, dentium affectionibus quibus-

dam supervenit, stipatur; nome tamen rarissime et ibi tantummodo saepius oritur, ubi scorbutica dyscrasia et stomacace epidemicae atque endemicae grassantur, velut in terris maritimis, in nosocomiis et orphanotropheis, in quibus tantus causarum nocentium numerus influit, ut talis constitutio aëris oriatur, quae gangraenam procreare possit. Ceteroquin casus multi innotuerunt, in quibus, nome jam exculta, per plures dies gingivae plane fuerunt integrae, foetorque et salivae secretio copiosior, quae antea aderant, ex gastricismo satis explicari queunt, quin stomacacae gastricae adscribantur, quae ad nomen gastricam producendam adsit, necesse mihi videtur. Multo minus etiam verisimile est, nomae metastaticae stomacacen metastaticam antecedere, quum haecce species saepius exanthemata acuta, quibus infantes magnopere essent debilitati, subito sit insecuta, nec foetore, nec gingivarum vel oris mala conditione, neque salivatione antea observatis. Stomacaces quidem symptomatibus non praegressis, gena repente afficitur, morbusque in decursu ad gingivam atque ad ossa prorepit.

Isnard-Cevoule, (1) qui, quamquam concedit, dyscrasiam scorbuticam nomes causam exhibere posse,

---

(1) Isnard-Cevoule in Journal complémentaire du Dictionnaire des sciences med. 1819; Cah. XVI und im Archiv für medic. Erfahrung von Horn, März-Aprilstück, 1820, S. 265.

labiorum tamen genaeque gangraenam discernit a gangraena gingivarum scorbutica, dicens „se in omnibus a se observatis casibus destructionis initium in gingivis nunquam animadvertisse, neque omnino conditionem scorbuticam, cujus stadio ultimo illius partis solius gangraena supervenire possit, vidisse, sed potius in genae et labiorum superficie interna malum esse exortum atque inde ad gingivas sensim dimanasse, semperque mortem induxisse, quum gangraena gingivarum scorbutica sanari possit." Illam gangraenae speciem eamque puellularum partes genitales adorientem pro eodem morbo habet, neque minus nomen atque aphthas gangraenosas, quae membranam mucosam lactentium infestant, discernit.

Nome in lactentibus nunquam occurrit, etsi in tam teneris infantibus ex aphthis gangraenosis facile oriri posset.

Num nomae ipsi stomacaces nomen sit tribuendum, de hac re Dr. Hueter (1) haecce tradit:

„Magnopere est dubitandum, an nome stomacace gangraenosa appellari possit, quum symptomata comitantia gangraenae labiorum haud stomacacae sint adscribenda, nisi stomacaces vocem pro nome usurpare velis, quo facto definitio indolis gangraenosae

---

(1) Dr. C. C. Hueter, Beobachtungen und Bemerkungen über den Wasserkrebs, im Journal von v. Graefe und Walther, Bd. XIII, erstes Heft, 1829, S. 36.

additamentum supervacuum erit. Stomacaces tamen nomen, quum membranae mucosae os ambientis, et gingivae tumentis, lividum colorem accipientis et ubique obsessae ulceribus superficialibus, morbum singularem significet, notiones confundet, si cum nome voce mutetur. Si plura gingivarum et genarum membranae internae ulcuscula confluerent, in gangraenam abirent, genamque ipsam destruerent, sine dubio stomacaces transitus in nomes speciem consecutus esse videretur, nisi mali decursu leniori formaque forsan non satis definita cognoscatur et transitus affirmetur, qui tamen rarissime vel nunquam occurrat, nam si saepius existeret, nome multo frequentius observaretur. Quod sibi innotuerit, nusquam huncce transitum distincte esse demonstratum dicit, quamquam nome in genae partibus interioribus interdum oriatur, in aliis tamen casibus plerumque in partibus exterioribus. Si ab interna superficie nome incipiat, gingiva primum infestetur non est necesse, quum destructio ab interna genae membrana ordiri atque ad genam totam sese extendere possit malumque tunc demum, quando externe pateat, cognoscatur. Si vero pustulae sive variolae forma indutum primum existat malum, destructionem statim ad profundiora petere debere asserit, illa ut, emortua carne soluta, vix discerni queat, num ex interna an externa superficie sit exortum, quod tum solum similitudinem quandam pustulae mali-

gnae, ant potius eundem morbum sistat, qui, distincta inflammatione non praegressa, gangraenam symptomatibus loco affecto congruentibus stipatam adduxerit. Ex tumore tamen genae, per dies plures jam increscente paululum rubescente, in ulcus deinde et gangraenam denique transeunte, conjici posse putat, in oris membrana interna exortum ad externam superficiem praegressum esse malum. Facile intellectu esse, nome ex pustula genae vel anguli oris exorta gingivas primum minime esse affectas ideoque stomacacen revera non existere, morbum tamen ad gingivas aliasque ad partes, quae ossa circumdent, postea serpere. Quum tandem, si in oris membrana interna oritur nome, gingivae saepius post destructionem omnium externarum partium afficiantur et vel integrae rarissime maneant, satis superque patere, malum hocce minime esse simile morbo, quem stomacacen nominamus."

Ceteroquin Wiegand (1) animadvertit, homines cujusque aetatis sexusque stomacacen infestare, ne lactentibus quidem parcere, nomen tamen a secundo usque ad decimum vitae annum praeprimis occurrere, lactentes non infestare, plane aliam formam offerre, plerumque sporadice, rarrissime pandemice, stomacacen contra epidemice grassari.

(1) I. Wiegand, der Wasserkrebs, eine Monographie. Erlang. 1830.

Nome in alterutro latere oris cavi locum unum afficiente, stomacacen simul plures partes obsidere.

Praeterea addiderim, nome multo magis puellas quam pueros laborare et plerumque in parte faciei sinistra malum sedere, id quod historiis morbi permultis confirmatur neque minus exemplis a Richtero et Siberto, (1) ceteris omissis allatis. Hueter enarrat, in latere sinistro nome affectum esse infantem, qui, inter vertiginis insultum lapsus, maxillae inferioris partem dextram pluribus diebus ante laesisset. In quo quidem casu, quamquam lateri dextro major dispositio inerat, tamen in latere sinistro nome est exorta. Difficile sane erit explicatu, cur latus sinistrum infestare soleat hicce morbus, quum nec structura nec functio utriusque lateris, quod anatomia et physiologia docet, quidquam differat. Quae quamquam ita se habent, magis tamen latus sinistrum ad hunc morbum, sicut ad orchitidem, vergere negandum non est, imo potius confitendum, hoc ad morbi indolem pertinere. Si lateri alteri nome insidet, priusquam ad alterum proserpit, jam morti succubuerunt infantes, praecipue tamen, quod destructione alterius lateris organismus totus tantopere est debilitatus, ut mors jam instet. Ad oculos potius atque ad collum,

---

(1) Dr. Siebert, der Wasserkrebs der Lippen in Hueland's Journal, Bd. XXXIII. Decbr. S. 74.

ipsumque ad latus alterutrum pectoris sese malum extendere, quam ad latus alterum transire solet. Non solum ergo lateri sinistro, sed etiam, quod primitivam sedem attinet, partibus, quae os circumdant, mollibus et praeprimis angulo oris majorem adjudicaverim dispositionem, atque affirmaverim nomen ab his partibus saepissime exire, licet ex scorbuto originem ducat dentesque jam sint elapsi, quod saepius in infantibus, qui praeterea dentitione ab anno secundo usque ad decimum maxime laborare solent, sine omni stomacace occurrit. In casu, quem describam, nec oris, nec gingivarum eo tempore, quo infans recepta est, nome jam satis fuit exculta, ulcera vero aderant, quae pluribus hebdomadibus ante adfuisse, ex remediis infanti praescriptis, conjiciebam. Num ab interna vel externa genae superficie exierit nome, accuratius in nostro casu discerni nequit. Quum tamen tumor genae antecederet, ponenda est origo in superficie interna secundum Hueterum, qui dicit, nomen, quamvis ab dentibus incipiat, per conterminas partes carnosas celeriter progredi, quin os ipsum corrodatur, adjecto casu, quem Martini descripsit: infans nempe, cui dens molaris extractus erat, nonnullis diebus post in latere sinistro nome afficiebatur, quae, destructione ipsius laryngis et tracheae immense extensa, intra tres dies mortem adduxit. De hac re Hueterus, si in hoc casu, ait, irritatio, quam obtulit dens ex-

tractus, ut destructio gangraenosa, cujus dispositio jam dudum aderat, insequeretur, effecerit, in aliis quoque casibus fortasse tales irritationes mechanicas tanquam causas occasionales inveniri posse, uti oris membranae internae morsus, qui sine dispositione distincta non facile hoc malum gignere valeant; casum tamen illum observatum atque supra memoratum huic sententiae repugnare, quum macula rubra lapsu exorta in latere dextro adhuc adesset eo tempore, quo nome exculta affectus infans sibi curandus traderetur.

Quod destructionem ipsam attinet, praesertim duae existunt sententiae, secundum alteram Hesse, (1) Klaatsch et Wiegand emollitionem, similem gastromalaciae et uteri putrescentiae, secundum alteram plurimi scriptores et quidem praeprimis Hueter et Richter, qui argumenta quinque contra Wiegand egregia affert, gangraenam supponunt. Hueter praeterea dicit, nomes symptoma praecipuum in partium mollium enecatione cerni, ex quo quidem phaenomeno omnia alia, ipseque foetor, qui magna ex parte materiis excretis putrescentibus adscribendus est, derivari possint. Richteri et ceterorum sententiae adstipulans destructionem pro

---

(1) C. G. Hesse, über die Erweichung, in den allgemeinen medicinischen Annalen von I. F. Pierer; Decemberheft, 1826. 8. 1636. Dr. Klaatsch in Hufeland's Journal, Bd. 56, 1823, Januar. S. 100, und Febr. S. 48.

gangraena habeo, quae causarum nocentium et debilitantium impetu in organismum humanum provocatur, atque ab aliis gangraenae speciebus symptomatibus, quae loco affecto congruunt, differt.

Quam facile infantium organismus causis nocentibus alienetur morbisque partim corripi, partim ad eos dispositionem suscipere possit, si consideramus, fortasse causae sufficientes patebunt, cur infantes solummodo infestet nome atque destructionem talem inducat, qua vitae finis imponatur. In organismo infantili atque in ejus alienationibus, quas injuriae praegressae adducunt, gangraenae originem subitam niti putaverim, uti gangraenam in senis organismo. In utroque vegetatio prostrata est atque in utriusque vitae quadam periodo gangraena nonnullas partes infestat, causis externis non praegressis.

Ab initio quidem inflammatio maxime asthenica intrat, quae plus minusve floret subitumque in gangraenam transitum facit, quem tumor saepius oedematosus, leviter rubefactus atque maculae lividae vel nigrae vel rubrae confirmant. Quin tumor quidem antecedens animadvertatur, derepente gangraena intrare dicitur, quae partes molles durasque eodem modo enecat, partesque genitales puellularum ipsas destruit, a Wiegand tunc nominata: „aedoitis vulvae ulcerosa.“ — Quamquam in ulceris ambitu partes per extensionem aliquot linearum in virides-

centem, fusco-atram lividamque, mollem et homogeneam gelutinosamque massam, sicuti in gangraena nosocomiali, cui permagna inest similitudo cum nome, mutatas invenimus, quam ob rem haec pro malacia, quae informatione retrograda ad partes primarias atque ad priorem vitae gradum constare dicitur, nonnullis habetur, in iisdem tamen, si initio cultro anatomico investigantur, interdum adhuc particulas singulas constituentes cognoscere licebit, id quod Hueter exemplo confirmat, quum labium emortuum a circumdantibus partibus amoveret atque anotomico cultro scrutaretur. Quod quidem, si in partis cujusdam superficie decompositio jam accessit, fieri nequit, emollitioque, quae illam antecedit, transitus tantummodo partium gangraena affectarum in dissolutionem esse videtur. Dum quidem margo angustus leviterque rubefactus amplius progreditur, durities emollitur massaque plane destructa partim decidit, partim nigris cinereisque lobulis dependet. Ambitus ruber circumscriptus in gangraena sicca magis viget partibusque prope marginem jam mumificatis sine ulla emollitione, inter quas et inter marginem parca secreti tenuis invenitur copia. Saepius gangraena in nome tum sicca tum humida simul adesse potest, id quod a Richtero etiam est observatum; dum enim gena in substantiam gelatinosam et putridam abit atque ichore dissolvitur, in labio aut in naso sicca, nigra solida-

que crusta oritur, quae quidem res ex partium situ est explicanda.

Si emollitionem, qualis in cerebro aut ventre occurrit, supponis et haucce dissolutionem putridam a saliva alienata foetoremque ab aëre accedente effici dicis, quid de mumificatione atque de eschara sicca sit censendum quaeritur, quae in nome partibus emollitis atque ichore consumtis adjacet, nec foetida, nec saliva, quae cum sanie commixta super genam defluit, imbuta. Quamquam ad gangraenam humidam excitandam saliva confert, haecce tamen species plerumque organa carnosa et succulenta infestare solet, dum gangraena sicca partes adoritur siccas. Ceterum emollitionem et mumificationem simul in eadem parte atque in eodem morbo existere, vel partium carnosarum emollitionem ossiumque necrosin esse conjunctas, non est verisimile. Denique interrogatur, num saliva, quae in nome tenuis, aquosa commixtaque ichore, in stomacace tamen tenax et mucosa est, tali modo fuerit mutata, ut, sicuti urina in telam cellulosam instillata, gangraenam povocaret, aut emollitionem subito in dissolutionem vertere posset? Quod quidem verisimile non esse videtur, quum saliva jam diu ante haud raro effluat, primum locum affectum saepe non humectet, neque in glandulis salivalibus morbus oriatur, sed in loco ab iis distante. Glandularum ergo harum affectio pro nome haberi nequit, et si salivae effectus ali-

quis sit adscribendus, quomodo in partibus genitalibus eundem morbum explicabis, nisi forsan vaginae fluori eandem imputes potentiam nocentem. Multo magis putaverim, salivam tantummodo esse symptoma accidens et decompositionem atque putrescentiam ad gangraenae naturam pertinere alienationemque hujus in omnibus oris affectionibus foetorem malignum spargentis salivae nonnisi ab ejusdem quantitate nimia pendere, quum propinquo morbo in organis salivalibus irritatio proferatur continua, qua efficitur atque alitur secretio copiosa. — Foetor nomes singularis atque cadaverosus cum foetore stomacaces vix mutari potest, cujus qualitatem irrumpente gangraena accipit, atque stomacace, si antea jam aderat, ex foetore cognoscebatur. Simillimum invenies foetorem ex vulneribus, operatione factis atque in gangraenam transeuntibus, causamque praecipue viridescenti, molli, gelatinosaeque substantiae atque ejusdem ichori, qui exprimi potest, adscribes, quum imprimis vehemens et fragrans evadat, si massae dissolutae nigrae et pulticulares, superficiem ulcerosam obtegentes, amoventur et lobuli substantiae putridae, quae foetorem, impositis partim massis dissolutis, obrutum, alit, decerpuntur. Partes enim plane decompositae foetorem non spargunt, qui tantummodo in putrescentia et decompositione exstat et sphacelo et nomae proprius, tantummodo, uti in gangraenae quavis specie, modificatus.

Partium carnosarum dissolutioni ossium quoque destructio additur gingivis intumescentibus, livescentibus ac nigrescentibus, per frustula cum periosteo decidentibus, dentibus elabentibus, alveolis nigrescentibus, id quod sursum et deorsum ad alia faciei ossa extenditur, quorum frustula nigra sensim decidunt, aut facillime decerpi queunt. Frustula haecce pro alveolorum teneritate in aetate infantili sat erant solida, quae partim scabra, partim glabra, partim perforata loca, sicuti in osse gangraenoso, obtulerunt. Majus ossis maxillaris frustum in promtu mihi est, quod cum dente, qui nondum excidere potuerat, quia alveolus destructus non erat, exemeram. Quam quidem rem vix unquam pro emollitione, minime dentium opsorum habebis, qui nigrescunt et radicibus mumificatis soliditatem priorem retinent. Eadem symptomata hicce invenies ac in ossium necrosi, quae partium carnosarum gangraenam, si usque ad ea proserpit, insequi debet, quamobrem nequaquam putaverim, cum partium carnosarum emollitione necrosin ossium una oriri posse, sed potius similem emollitionem, uti in aliis morbis, quibus ossa eadem, qua partes carnosae vel humores, materie morbifica afficiuntur.

In tali partium destructione, quae alterutrum interdumque utrumque faciei latus adgreditur et linguam palatumque et collum consumere potest, totus organismus tantopere afficitur, ut intra tres,

octo, quatuordecim vel, uti in nostro casu intra sedecim dies gangraenam ingressam mors per colloquationem insequatur.

Aeque celeriter et singulariter ac destructio, procedit sanatio. Si quidem vi medicatrici naturae contingit, ut mali propagationem impediat, tumor subsistit, emollitur, rubor levis cedit nec non splendor superficiei tensae, atque carnis emortuae terminos orbis inflammatorius laete ruber cingit, qui nobis linea demarcationis dicitur et colorem flavescentem induit, quando incipiunt suppuratio et massarum gangraenosarum postremo decidentium excretio, inter quas et orbem inflamatorium tenue secretum formatur, quod postea puris boni naturam recipit et carnem novam ubique gignit, qua partium jactura tali modo restituitur, ut deformitas vix remaneat. Ossibus quoque, necroticis particulis sensim solutis atque excretis, nova productione in integrum restitutio affulget. Ulceris sanatione incipiente totius organismi conditio in meliorem vertitur, neque minus quam destructio, tanquam morbi singulare et mirum phaenomenon, existit sanatio.

HISTORIA MORBI

Mariae Baumgart D. XXIV. M. Octbr. A. MDCCCXXXIII. in nosocomium Caritatis receptae ibique D. IV. M. Nov. ej. anni defunctae.

Infans, duos annos novemque menses nata, quamquam satis bene nutrita neque macilenta, magnitudine etiam ea, quam aetas ferret, pedibus tamen insistere non potuit, nec nisi verba nonnulla prodere voluit. Pallor faciei et intumescentia cum alis nasi crassis, crinis flavus, oculi caerulei, ciliis longis adumbrati, sufficienter habitum scrophulosum indicabant. A prima infantia jam debilis fuit infans et quum semper mammas recusaret et digestione laesa laboraret, non est vaccinata, imo mater coacta est, infantem lacte desuefacere et cibis, praesertim tamen proh dolor! pane nigro, tuberibus solani tuberosi et alio victu duriori nutrire. Domicilium insuper humidum et insalubre erat. Ante octodecim menses morbo febrili correpta est infans, quem medicus in auxilium vocatus pro inflammatorio statu glandularum abdominis habuisse dicitur. Medicaminum quorundam fluidorum usu quamquam morbus sensim decrescebat, ad pristinum statum aegrota nunquam rediit atque ex illo tempore debilitas major exstitit. Manuum et auris sinistrae ulcera deinde exorta, mox varicellae et capitis exanthema insecu-

tum est, quod cum post longius temporis spatium evanesceret, calor et symptomata alia febrilia accesserunt, quorum tamen indoles minus innotuit. Ante sex circiter menses mater saepius gingivas sanguinolentas observavit, foetorem ex ore, ciborum fastidium et salivationem copiosam ejusmodi, ut totus fere lectus, si forte infans aliquamdiu neglecta esset, humectaretur, inde oris morbum conjiciens aliquando exploravit et dentes tenaci cinereoque muco obductos, gingivas pallidas et quae tactu sanguinem emitterent, invenit. Quum emeticum, dein laxans ab arcessito medico praescriptum minime remissionem adduxissent, emeticum hac formula:

℞ Rad. Ipecacuanh. ʒj
Aqu. destill.
Oxymell. scillae ann. ℥ß
M. DS.

iteratum est D. XIII. Mens. Oct., adjuncto ob gingivarum malam conditionem linctu e borace melleque despumato. Quorum medicaminum usu durante sinistri lateris dentes vacillare inceperunt et dens molaris ossis maxillaris superioris excidit. Gena sinistra intumescens usque ad D. XX. M. Oct. tantopere increvit, ut tumor in medio rubefactus insignem extensionem adeptus die insequenti duritie accedente augeretur et D. XXII. Oct. intumefactae genae medio macula livida rotunda trium vel quatuor linearum spatio conspiceretur, quae sub meri-

diem ejusdem diei in ulcerationem transiit, quae singularem et gravem foetorem spargens, in ambitum et in fundum rapidissime progressa, jam D. XXIV. Oct. genam perforaverat. Quo facto medici in auxilium vocati consilio infantem mater nosocomio Caritatis tradidit.

Ibi cum recepta erat, nec febricitavit, neque aegritudinis sypmtomata obtulit aegrota, matris brachio insidens tranquillo animo et interdum solummodo dolorem vultu sive motu significans. Perforatio genae sinistrae ulcerosa infundibuli instar sex circa lineas ab angulo oris distans statim in conspectum venit, cujus aperturae externae diametrus longior pollicem, brevior lineas octo patuit, interna vero apertura solummodo duarum vel trium linearum erat.

Ulceris margines omnesque genae partes carnosae fusco-nigro colore praeditae, tali modo erant emollitae, ut frustula forcipis ope facillime decerpi possent.

Durities in ulceris peripheria aurem versus ad spatium quatuor vel quinque linearum, nasum et labia versus ad duas vel tres lineas extendebatur, rubore intenso cutis flavi quidquam erat immixtum; ad extremos fines sensim sensimque decrescebat atque cutis in extensione duritiei paululum fulgebat, quasi oleo illinita. Glandula submaxillaris sinistra tumefacta erat multumque salivae mali

odoris, ichore tenui ex ulcere admixto, ex ore effluebat factoremque fragrantem et cadaverosum ulcus edidit. Gingivae livido-rubrae, sanguinolentae erant, calor oris auctus, dentium muco tenaci obductorum plures in sinistra parte vacillabant, deficientibus molaribus duobus. Siti permagna cruciata potum hausit maxima cum aviditate, motum nullum, sed quacunque situs mutatione multum clamoris edidit. Febris non aderat.

Ope linamenti calcaria chlorata in aqua destillata soluta ulceri et genae imponebatur omnique hora dimidia iterabatur.

Satis tranquille peracta nocte, qua massam pulticularem alvus dejecit, horis mututinis D. XXVI. Oct. apertura genae versus omnes dimensiones tantopere erat amplificata, ut spatium cutaneum inter os et ulcus, quod heri sub vesperam jam rubefactum et tumidum erat, plane esset deletum et craterem magnum ulcerosum conspiceres. Foetor tamen solutione calcariae chloratae erat temperatus.

Quum funestus hicce morbi casus, omni spe paene abjecta, ad experiendum novum hucusque satis incognitum remedium aptissimus videretur pluresque medicorum adstantium nuperrime inventum et saepius in medicina laudatum Kreosotum forsan opem praestiturum esse, opinarentur, hocce medicamen interne secundum hancce formulam est adhibitum:

℞ Kreosoti gtt. jj
Ol. amygdalar. dulc. expr.
Mucilag. Gumm. mim. aa ʒjj
Aquae comm. ℥jß
Syr. altheae ℥ß.

M. D. S. Omni bihorio cochlear minus praebeatur, ut medicina per diem consumatur.

Ulcus super gangraenosum, marginesque et totum ambitum, per quem extensa erat durities, omni bihorio Kreosotum linebatur globulusque lintei carpti, hoc fluido imbutus, imponebatur, quem amovere aegrota conabatur, ex balneo tamen calido, herbis aromaticis impraegnato, perbene se habuit et magna cum aviditate vinum rubrum dilutum hausit. Praeterea vescebatur lacte et jusculo carnis.

Diem sine doloris et aegritudinis indiciis peregit, valetudine vix turbata. Copiosius emissa urina erat saturata, post meridiem massam pulticularem alvo deposuit; somnus mox accessit et ne febriculae quidem signum adfuit. Gangraena tamen per quamvis directionem proreptabat et sub vesperam ulceris diametrus jam undeviginti lineas aequabat, margine magis rubescente, duritie tamen subsistente, saniei saliva remixtae in genae regione copioso effluxu, multo minore tamen labia versus, quae quidem nec emollita, nec putrefacta, sed potius indurata erant et multo minus tumuerant. — Colorem ulceris viridescentem in fuscum mutavit illitum Kreo-

sotum, foetore valde diminuto et obruto. — Massis putrescentibus gelatinosisque telae cellulosae musculorumque sub foetore fragranti remotis, crustisque labii superioris nigris, siccis et duris, quas Kreosotum non mutaverat, et sub quibus rubra caro conspiciebatur, abolitis, mox denuo in gena superficies cinereo-nigrescens oriri, labiorumque crustae, margine angusto rubriori cinctae, regenerari solebant.

Vix mutata aegrotae conditio D. XXVI. Oct. horis matutinis erat post satis tranquillam noctem. Alvi dejectio pultaceam massam praebuit. Ut Kreosoti effectus in carnes nondum emortuas determinaretur, in incisiones cutaneas genae nonnullas, quibus tenuis sanguinis copia parva effluxit, illud medicamen immittebatur sine ullo doloris signo. Sub vesperam lineae unius latitudine gangraena, sed aurem versus tantum increverat, incisuris jam sphacelo correptis. Semel hoc die post assumtionem Kreosoti lac vix haustum vomitu edidit. Pedum et manuum oedema aderat, in hisce fortasse ex causa mechanica, quum brachia, ne insultarent faciem, vinculis essent ligata.

D. XXVII. Oct. noctem tranquillo somno peregit infans, tenues, flavo-viridescentes massas alvus dejecit. Tardos quidem, sed satis insignes gangraena fecit progressus versus alam nasi, labia et oculos, quae quidem partes nocte priori jam tumefactae erant, duritie in ambitu ulceris vix latius pro-

gressa. Quibus locis Kreosotum applicatum erat, vesiculae eruperant. Iam in fundo ulceris dentem caninum conspeximus. Oedema palpebrae inferioris sinistrae accessit, cum pulsu accelerato, siti permagna, calore non aucto, febris signis non sat manifestis.

D. XXVIIII. Per noctem, quamquam tranquillam, color auctus cum frigore alternabat, duabus vicibus faeces tenues secesserunt. Gangraena ad duas vel tres lineas labium et nasum versus progressa, labium utrumque tantopere deleverat, ut dentem caninum superiorem et inferiorem nec minus dentem proximum superiorem incisorem denudatos conspiceres. — Praeter balneum, quod hucusque quotidie erat institutum, lavationes spirituosae totius corporis saepius hodie repetebantur. Cura ceterum non mutabatur. — Nec exacerbatio, nec ulla mutatio in statu aegrotae accessit. Lingua, jam per genam deletam ex parte spectans, muco flavo obtecta erat. Labii superioris et alae nasi intumescentia et durities per diem auctae sunt, palpebra magis intumuit, pedum oedema vix memoratu dignum.

D. XXIX. Oct. Per noctem tranquillam infans multum dormivit, satis facile tamen experrecta. Faciei pallor et collapsus increverunt, ulceris margines, praesertim genam versus, minus rubri, quam antea fuerant, ejusque diametrus longior duos pol-

lices, brevior viginti duas patuit lineas. Quum faeces aliquoties fluidae depositae essent, mixturae supra praescriptae quatuor guttae Tr. Opii crocatae additae sunt, duae tamen dejectiones adhuc insequutae. Cibi semper magna cum aviditate assumebantur.

D. XXX. Oct. Noctu alvi excretio liquida et graveolens. Pulsus centum et decem ad centum et viginti singulis horae minutis, quamquam molles et debiles, tactu tamen perspicui. Sitis semper ingens. Ad lineam unam per totam peripheriam destructio extensa, jam ad nasi alam atque ad raphen labii superioris, parte ejus sinistra plane consumta, progressa est, superioris inferiorisque maxillae in latere aegroto dentibus omnibus vacillantibus atque mox elapsuris.

Hac vehementi destructione margo alae nasi sinistrae inferior erat perforatus et per D. XXXI. M. Oct. plane consumtus est, ita ut in nasi cavum inspicere liceret. In aperturam linamentum Kreosoto imbutum, quantum fieri poterat, inserebatur. Ab oculi angulo sphacelus duas lineas tantum distabat et tantam extensionem adeptus erat, ut latitudo duos pollices tresque lineas, longitudo duos pollices unamque lineam haberet.

Interne duodecim Kreosoti guttas aegrota sumserat atque externe medicaminis hujus drachmae quatuor et dimidia erant applicatae. Quum diar-

rhoea dierum proximorum non huic remedio, sed colliquationi sub exitum morbi esset adscribenda, quum nec transpiratio, nec urinae secretio auctae, sed potius diminutae essent, quum denique usus externus nec incrementa arcere, nec limitem constituere valeret, — quamquam foetorem non solum correxerat, sed plane fere exstinxerat — vix contendat aliquis, Kreosotum ullum effectum singularem praebuisse.

Quum spes omnis fausti exitus evanuisset, usum Kreosoti etiam nunc continuare inutile videbatur, atque ut vires collabentes sustinerentur, ad alia medicamina transire placuit, quam ob rem, praeter diaetam nutrientem, praescipta est haecce formula:

℞ Decoct. Chinae fusc. ℥jjj
Acidi phosphoric. pr.
Tr. Chinae comp. aa.
Sacchari alb. ℥j

M. D. S. Omni bihor. cochl. min. sumatur.

Externe linamentum solutione calcariae chloratae — drachm. in aqu. font. libr. j — imbutum imponebatur.

Per diem infans perquam tranquilla erat, multum dormiens et somno magis omnino dedita, ita ut statum soporosum non plane abnegares, calore imminuto, pulsu tenui et debiliore, quam antea. Vomitus aliquoties medicamina assumta insequebatur. Sub vesperam ulcus latitudinem jam pollicis

et dimidii, longitudinem duorum pollicum linearumque trium adeptum erat.

Die I. Nov. plures sedes tenues, nigrescentes, cadaverosae dejectae sunt, inter quas ascaris lumbricoides inventa est. Sitis eum in modum augebatur, ut infantis miserae in potu hauriendo brachia tremerent et lingua in apice ruberrima, ad basin nigra, humida tamen, adeo tremula ex ore atro porrigeretur, ut revera vix turpius aliquod adspicere posses. Manus pedesque frigidi; pulsus vix sentiebatur; abdomen perquam calidum et collapsum: digitus manus dextrae minimus intumuit, quo in medio magna macula caerulea oriebatur. Dentes fere atri ossis maxillaris superioris sinistri exciderunt, qua re os illud cum osse zygomatico et osse nasi sinistri ex parte maxima, integumentis mollibus et periosteo orbatum, in conspectum venit. Nec minus cartilaginis nasi sinistra pars plane erat deleta, ita ut cavum nasi ab hoc latere esset apertum, membrana mucosa colorem nigrescentem praebente, narium septo nondum deleto. Vomitus ante meridiem aliquoties incidit, imo rediit post meridiem.

D. II. Nov. Alvus saepius dejecta; sedes indolem jam supra memoratam obtulerunt, facies collapsa, oculi retracti aliaque signa faciei hippocraticae satis erant expressa, calor imminutus, abdominis integumenta fervidiora, quam heri fuerant. Spha-

celus, cujus secretio antea copiosissima, multo parcior facta est, hoc die ipsum narium septum morbus arroserat et ad oculum languidum et fractum, dimidia tenus parte tantum apertum tam prope accesserat, ut palpebrae inferioris linea vix remaneret, cujus oedema, cum antea eo magis intumesceret, quo magis sphacelus appropinquabat, nunc plane evanuit. Pari modo oedema pedum, quos nunc flaccidos et victos conspeximus, est collapsum.

Infantis siti vehementissima cruciatae caput manusque in potu hauriendo misere tremuerunt, jamque vox extincta videbatur; nam neque clamabat amplius, et per somnum fere soporosum perpetuo subsultus tendinum et floccilegium animadvertebantur.

Status omnino idem D. III. Nov. observabatur. Fervidum tamen et contractum abdomen, si premeretur, dolebat, ita ut aegrota expergefieret, sed tamen in soporem statim recideret. Convulsiones frequentiores, sitis major, urinae excretio intercepta. Sed ex alto sopore ad conscientiam revocari potuit, ut ad interrogationes vel affirmando vel negando adhuc respondere valeret. Ulceris margines, tumore peripherico callapso et secretione ichorosa fere plane cessante, sicci nigrique sunt. Angulo oris maximaque parte tarsi palpebrae inferioris deletis, repente, ex vase arterioso arroso, in cantho interno sito, prorupit sanguis tenuis atque aquosus;

mox tamen, pressione adhibita, cessavit. Iam per narium septum perfractum in cavum nasi dextrum inspicere licet et maxillae inferioris pars denudata colorem fusco-nigrescentem ostendit. Processus alveolaris superioris contriti et putridi frustula facillime decerpere posses atque ex foramine orbitali nervorum vasorumque fines arrosos propendentes conspiceres.

D. IV. Nov. pulsus in brachiis defecit; facies extremitatesque frigidae, oculi extincti, respiratio frequens atque stertorosa; nihilominus ad conscientiam moribunda ex sopore adigi potuit. Sphacelo tandem subsistente, mors die decimo sexto morbi quarta et dimidia hora pomeridiana vitam miseram finivit.

SECTIO.

Corpus defunctae, cadaverosum foetorem spargens, magnoperé erat flaccidum, exile et corrugatum.

Cavum cranii. Cerebrum, in cujus lobo posteriore vasa paulo magis erant impleta, nil aegroti ostendit, sed mollius aliquanto esse videbatur.

Cavum thoracis. Tuberculis mollibus in apice pulmonum exceptis, haecce organa, aeque ac ipsum cor, plane erant integra.

Cavum abdominis. Nec hepar nec splen mutata inveniebantur, ilei tantummodo membrana mucosa in eo loco, quo volvulus parvus erat, paulo

magis rubescebat. Vesica urinaria valde contracta urinae saturatae et tinctae copiam exiguam continebat. Glandulae mesaraicae erant tumefactae et duriusculae. — Organa omnia valde erant exsanguia, et qui aderat sanguis, tenuis erat atque aquosus.

Superficiei ulcerosae in faciei parte sinistra latitudo duorum et dimidii pollicis, longitudo trium pollicum erat. Ejusdem margines nigri, carbonis similes et collapsi, circumdabant denudata ossa partim albida, partim nigrescentia. Tota fere gena, labium inferius totum, superioris paene dimidium deleta erant, ita ut hujusce sex lineae vixdum superessent. Nasus usque ad partem dextram erat consumtus, cavum ejus sinistrum patebat, septi arrosione ad supremam eamque minimam partem progressa. Canthus internus erat denudatus, palpebrae inferioris lamina tantummodo interior restabat, ipse oculus tamen integer. Ultra duritiem, quae vix lineas nonnullas circa ulceris ambitum extendebatur, musculi et tela cellulosa et adeps et nervi vasaque libera ab omni affectione inflammatoria inveniebantur, vasis prope loca arrosa coagulo parvo obturatis. In genae et labiorum superficie interna atque in gingivis destructionis latiores progressus in conspectum venerunt, quam in superficie externa, gingivae totius maxillae partim consumtae, partim in frustula dissolutae, partim laxae.

Deletis his partibus mollibus haecce faciei ossa vel denudata vel arrosa cernebantur, uti ossa lacrymalia, nasi, vomeris margo anterior ejusque processus nec minus margo orbitalis, processus alveolaris superior et inferior nigri erant et in frustula discerpti, ita ut vulsellae ope frustula decerpi possent; quae tamen singula satis firma erant et tenacia, partim scabra, partim laevia, uti in ossibus gangraena affectis. Dentes affecti lateris omnes defecerunt, exceptis incisore inferiore et molari secundo, qui quidem vacillabant et colore erant fusco nigrescente; intervallis tamen et foraminibus deficientium vix cognoscendis. — Oris partes internae non erant deletae, passim tantummodo muco nigro obtectae.

VITAE CURRICULUM.

Ego, Carolus Gustavus Theodorus Brumby, die mensis Julii VIII. A. MDCCCX patre Joanne, physico regio praefecturae Wanzlebiensis in provincia Saxonia, et matre carissima e gente Krebs, quos optimum numen ad hunc usque diem integros mihi servavit, Egeliae natus et confessioni evangelicae addictus sum. Primis literarum rudimentis imbutus, Quedlinburgi, tum Blankoburgii in gymnasiis, quae directoribus Sachse et Mueller florebant, iis literis operam navavi, quae ad studia academica viam muniunt.

Anno MDCCCXXIX, Berolini civibus instituti regii medico-chirurgici Friderici Guilelmi adscriptus, per quadriennium utriusque medicinae studiis me tradidi, virosque illustrissimos et celeberrimos de variis doctrinae partibus audivi:

Ill. Wolff sen. de hodegetice, logice et psychologia; Ill. Link de historia naturali, botanice, toxicologia et de plantis cryptogamicis; Ill. Lichtenstein de zoologia; Beat. Hermbstaedt de chemia pharmaceutica; Cel. Turte de physice, chemia et pharmacia; Ill. Schulz de botanice; Cel. Eck de physiologia; Beat. Knape de osteologia; Ill. Schlemm de syndesmologia, splanchnologia; Beat. Rudolphi de encyclopaedia et methodologia medica; de anatomia corporis humani universa, de anatomia organorum sensuum et de physiologia; Ill. Osann de materia medica et de fontibus medicatis; Ill. Hufeland jun. de pathologia generali, semiotice, therapia tam generali quam speciali; Ill. Horn de pathologia speciali, de morbis syphiliticis et de morbis mentis; Cel. Casper de arte formulas medicas concinnandi et de medicina forensi; Ill. Kluge de chirurgia generali, de ossibus fractis et luxatis, de arte obstetricia, et fascias rite applicandi, nec non de akiurgia; Cel. Jüngken de ophthalmiatrice atque de chirurgia universa disserentes audivi. In arte cadavera rite dissecandi Beat. Knape et Beat. Rudolphi mihi duces fuerunt. Praeterea Celsi de medicina libros Cel. Hecker mihi interpretatus est. Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis atque obstetriciis virorum Ill. Ill. Wolff, Bartels, Rust, de Graefe, Jüngken et Kluge interfui. Quos om-

nes praeceptores clarissimos et doctissimos pio gratoque animo semper venerabor.

Studiorum cursu peracto per annum medico-chirurgi inferioris munere in nosodochio Caritatis Berolinensi functus sum atque adhuc fungor.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero fore, ut dissertione thesibusque rite defensis, summi in utraque medicina honores mihi concedantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Typhi abdominalis causa proxima in lenta tunicae mucosae tubi intestinalis inflammatione cernitur.

II.

Delirium tremens non specificam curationem requirit.

III.

Nome est gangraena, non malacia.

IV.

Morbi immateriales sic dicti non existunt.

SOME TIGHT
GUTTERS